

tionem mens nostra concipere non
valet. Veruntamen quantum idem se
exinanivit, tantum super omnia exal-
tatus est: Cui Laus & Gloria in æter-
num, AMEN.

O Deus, ô Jesu, ô Spiritus alme:

Mens invariabilis,

Lux inextinguibilis,

Pax inperturbabilis,

Unitas indivisibilis,

Veritas infallibilis,

Benignitas ineffabilis,

Potentia immensa,

Sapientia infinita,

Bonitas incomprehensa,

Æternitas omnipræsens,

Simplicitas omnia replens,

Principium omnia regens,

Stabilitas omnia movens,

Vita omnium viventium,

Sensus omnium sentientium,

Operatio omnium operantium,

Illumina me, sanctifica me, vivifica me.

CAPUT XXXII.

QUOMODO ANIMA DEVOTA
DEUM agnoscat ceu ipsam summam
que justitiam & perfectio-
nem.